

etiam Sacros, juxta dicta num. 31. ita etiam licite, atque sine alia dispensatione, potest promoveri ad Beneficium Ecclesiasticum: ne forsan ceteroquin in opprobrium suscepti statum Clericalis mendicare cogetur. Atque istud clarè indicat Dicitio, Nisi, in proximè allegatis Juribus contenta: nam hæc dicitio de sui natura est exceptiva, & in effectu adversatur præcedentibus; ut c. peccatum. 4. de Reg. Jur. in 6. cum similibus. Et si oratio negativa præcedit, affirmat Barbosa de Dictionib. usu frequent. Dicit. 217. allegans plurimos alios.

43 Accedit ratio Conclusionis sic explicata. Tum quia præter privilegium Canonis, & Fori (modo superius jam declarato) Clericus conjugatus habetur pro mero Laico, nulloque privilegio Clericali gaudet, cap. un. §. In ceteris. h. t. in 6. ac proinde nec beneficium Ecclesiasticum obtinere potest. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 2. n. 63. post Joan. de Selva part. 1. de Beneficiis. quest. 7. n. 17. & part. 3. q. 5. n. 19. Tum quia Clerico in Ordinibus minoribus constituto, & matrimonium contrahente, vacant ejus præhabita Beneficia ipso jure, cap. 1. & c. Quod à re. 3. & c. Diversis. 5. h. t. Ergo nec imposterum talia ipsi sunt conferenda, propter incompatibilitatem status conjugalis cum Beneficio, conformiter dictis supra §. I. numer. 6. & 7.

44 Et quæ nunc dicta sunt de Beneficio, procedunt pariter de Pensione Ecclesiastica, seu quæ titulo Clericali conferri solet. Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 44. n. 9. Barbosa cap. 2. h. t. Secus dicendum de Pensione, quæ datur pro ministerio merè temporalis; ut puta, pro pulsandis organis, aut campanis, vel pro gerenda advocatia Ecclesiæ: quia pro talibus ministeriis bene potest Clericus conjugatus habere stipendium ab Ecclesia, non tamen in titulum. Abbas b. Joannes. n. 7. & 8. h. t. citans Hostiensium. Sanchez cit. dist. 44. n. 2. & 4. Barbosa d. n. 2. & alii. Concordat Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 17. de Reform. ubi Clericis conjugatis, functiones quatuor Ordinum minorum exercentibus, jubet congrua stipendia assignari: quia hæc non dantur in titulum. Nisi dicere velis, istud fieri ex speciali dispensatione Apostolica, in dicto Concilio promulgata, conformiter illico dicendis: unde.

45 Resp. II. Ut Clericus conjugatus castitatem perpetuam, ut supra, non vovens, quaecunque Beneficium Ecclesiasticum obtineat, requiritur dispensatio Summi Pontificis: nec Sufficit dispensatio Episcopi, etiam loquendo de Beneficio simplici. Ita Abbas Panormitanus cit. c. Joannes. n. 7. h. t. Angelus §. Beneficium. n. 15. Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 42. n. 18. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 2. n. 63. & 69. Barbosa cap. 2. n. 2. h. t. Garcias par. 7. de Beneficiis. cap. 5. n. 4. Flamin. Parisius lib. 4. de Religione. Benefic. quest. 2. n. 28. citans magis communem: quamvis loquendo de Beneficiis simplicibus quæ non sunt Dignitates, non pauci velint, Episcopum posse dispensare; ut videre est apud Abbatem loc. cit. & Sanchez n. 17. Ratio Conclusionis est: quia Episcopus non dispensat contra Jus commune, nisi in casibus sibi à Jure concessis: ut can. Amputato. c. 26. q. 2. junctâ Glossâ fin. ibid. & c. Dilectus, ubi Glossâ §. Permissa de Temporib. Ordin. cum similibus. Atqui talis dispensatio, etiam quoad Beneficium simplex, nullibi reperitur Episcopo concessa; imò potius videtur ipsi prohibita in cap. 2. & c. Diversis. 5. h. t. ergo.

46 Dices. In c. Joannes. 7. h. t. Pontifex decedit Clericum conjugatum non esse cogendum ad deferendam tonsuram Clericalem, dummodò nullum percipiat Beneficium: ergo supponit Pontifex, posse

Clericum ex dispensatione Episcopi habere aliquod Beneficium, saltem simplex. Respondent Glossâ fin. ibid. & DD. passim, Capitulum istud verificari ex dispensatione Papæ, non autem ex dispensatione Episcopi. Nam, quia textus supponit, Clericum conjugatum posse habere Beneficium, non autem declarat modum; intelligi debet ex legitima dispensatione Papali, ut sic concordent jura juribus. Abbas, Sanchez, ut supra alioquin enim, si sufficeret dispensatio Episcopi, immerito Papa in c. Diversis. 5. h. t. jusset, ut Beneficia Ecclesiastica, scienter per Episcopum (& sic ipso facto dispensantem) Clericis conjugatis collata, per Superiorem suum eidem Clericis adimerentur.

Urgebis. Episcopus dispensat in Beneficio simplici cum homicida, & irregularitate ipsius, c. Henricus. de Cleric. pugnans. in duell. & c. Ad audientiam. 12. & c. Continebatur. 8. de Homicid. Idem ergo poterit in proposito. Resp. neg. consequent. Quia istud (loquendo de homicidio casuali, ut in Juribus præallegatis est) expresse per Sacros Canones Episcopus concessum: non illud. In materia verò dispensationum, quæ est exorbitans, non debet argui de casibus permissis ad non permittis, etiamsi permitti sint majores; juxta Reg. 28. Juris in 6. Quæ à Jure exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, cum concordantibus Jo. Andreas c. Quæ à jure. n. 9. de Reg. Jur. in 6. Abbas, Sanchez, ubi supra; etique jam dictum superius Lib. I. Tit. 2. De Constitutionibus. n. 421. 451. & 454.

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.

1 Ratio continuationis Rubricarum.

Um Beneficium Ecclesiasticum datur propter Officium, ut dicitur cap. ult. de Rescript. in 6. non sufficit Clericos vitæ honestate fulgere, mulierumque consortia vitare, nisi etiam suum præsentem officium ratione recepti Beneficii sibi incumbens. Quia igitur istud præstare non valent, nisi resideant in Ecclesia, vel Præbenda, ad quam assumpti fuerunt, meritò prærens Titulus prioribus subnectitur: pro cujus clariori intelligentia fit

§. I.

Præmittuntur generalia de Residentia Clericorum Beneficiorum.

SUMMARIUM.

- 2 Residere in Ecclesia, vel Præbenda, quid? Et num. seqq.
- 3 Residere nihil aliud est, quam deservire Ecclesiæ in Officiis Divinis.
- 4 Exiens in loco Beneficii, sed nihil præstans, residet materialiter, non vero formaliter. Et num. præc.
- 5 Beneficium datur propter Officium; nec est conferendum, nisi residere valenti. Residentia debet esse laboriosa, non otiosa. Ibid.
- 6 In Beneficiis Ecclesiasticis locum non habet Regula, potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. Et cur?
- 7 Residentia est duplex, vera, & ficta: & quid? 8 Spectato

§. I. Præmittuntur generalia de Residentia Cleric. &c.

37

- 8 Spectato Jure communi, omnia Beneficia, etiam simplicia, possunt residentiam.
- 9 Ex generali tamen consuetudine, Beneficia simplicia cum non requirunt; nisi Fundator opposuerit &c.
- 10 Episcopi, alique Beneficiati curam animarum habentes, Jure Divino, & naturali residere tenentur.
- 11 Istud tamen non est diffinitum per Concilium Tridentinum, tanquam dogma Fidei.
- 12 Absens potest gregi suo invigilare: & quando?
- 13 Pastor Jure naturæ, atque vi sui officii, tenetur gregi suo invigilare, nec ipsum deserere. Eadem obligatione, quæ quis tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium, sine quo finis obtineri nequit. Ibid.
- 14 Beneficia non curata, Jure duntaxat Ecclesiastico exigunt residentiam.
- 15 Danturque aliqua Beneficia, quæ ad residentiam non obligant.
- 16 Instantia, & probans, etiam Beneficiatos non curatos teneri Jure naturali residere; ejusque solutio.
- 17 Juramentum de continua personali residentia, quomodo sit intelligendum?
- 18 Non obligat in casibus Jure communi exceptis: idque exemplificatur. & n. præc.
- 19 Quæ Spectato Jure communi sint pœna Clericorum, in suis Beneficiis debite non residentium.

Nulli diversæ Dignitates Ecclesiasticæ, aut plures Ecclesiæ Parochiales sunt conferendæ, sub certis pœnis, & quibus? Ibid.

- 20 Beneficiarii debito modo non residentes, imprimis per Superiorem sunt citandi, seu monendi, ut resideant.
- 21 Et si præstatio tempore, cessante justo impedimento, non redierint, proceditur contra eos appellatione remota. Et n. præc.
- 22 Citatio Beneficarii non residentis, debet fieri personaliter, quando scitur ubi sit.
- 23 Alioquin in Ecclesia, ubi Beneficium existit, debet publicari Edictum irinæ citationis: & quomodo? Nec sufficit unum preceptorium. Ibid.
- 24 Sufficeret tamen unica citatio personalis: idque ampliatur.
- 25 Beneficiarius propter longiorem absentiam privatus Beneficio si post reditum probaverit justam absentiam causam, est restituendus. Unde Superior non debet statim procedere ad privationem Beneficii &c. Ibid.
- 26 Pœna ordinaria Clericorum non residentium, est privatio Beneficii. Potest tamen Superior alio modo contra eos procedere: videlicet per censuram Suspensionis, & excommunicationis.
- 27 Non verò per pœnam Degradationis.
- 28 Hactenus dicta potissimum procedunt Spectato Jure communi antiquo. Et quid post Concilium Tridentinum? Remissive. Ibid.

Quæritur I. Quid sit, Residere in Ecclesia, vel Præbenda; quibusque modis contingat? Resp. cum communi: Residere hoc loco dicitur is, qui fermè continuò commoratur in loco Beneficii sui, causâ officii, seu servitii Ecclesiastici personaliter præstandi. Dicitur imprimis, fermè continuò commoratur in loco Beneficii. Nam, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversurum sunt; prout loquitur Sacrosancta Synodus Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

8. telem residere duntaxat materialiter, quatenus corpore adest in loco Beneficii: non verò formaliter, cum maneat in loco Beneficii cum effectu; hoc est, cum exercitio muneris personalis, ad quod ipsa residentia ordinatur, & de quâ præsentiarum est sermo.

Dicitur secundò, causâ officii, seu servitii Ecclesiastici &c. Quia onus residentie, Clericis Beneficiariis incumbens, est intelligendum cum effectu, c. Relatum. 4. h. t. Quin imò, ut notat Fagnanus in c. Conquerente. n. 16. h. t. & c. Licet. n. 25. de Præbend. Residere nihil aliud est, quam deservire Ecclesiæ in officiis Divinis, per textum in cit. c. Conquerente. h. t. ibi: Vel quod eidem Ecclesiæ non deserviat. Unde, si Clericus personaliter quidem existat in loco Beneficii, sed officium suum nunquam præstet (puta, si Canonicus, ceteroquin prærens in loco Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ, non nunquam accedat Chorum, & Capitulum) non censetur residere. Pirhing. h. t. nu. 1. Quid enim prodest Clericorum præsentia in loco, ex quo Divinis non adstant, propter quæ sunt Beneficia constituta? Glossâ cap. un. §. Præsentes. h. t. in 6.

Nisi dicere velis cum Barbosa ad Rubric. h. t. nu. 8. telem residere duntaxat materialiter, quatenus corpore adest in loco Beneficii: non verò formaliter, cum maneat in loco Beneficii cum effectu; hoc est, cum exercitio muneris personalis, ad quod ipsa residentia ordinatur, & de quâ præsentiarum est sermo.

Dicitur tertio, personaliter præstandi. Siquidem nullus ad Beneficium Ecclesiasticum assumendus est, nisi qui residere in loco, & curam ejus per se ipsum valeat exercere, juxta textum expressum cap. 3. h. t. Quia enim Beneficium datur propter officium, cap. ult. de Rescript. in 6. hinc residentia accipienda est in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa. Fagnanus c. Ex parte. num. 15. h. t. Atque idcirco omnes, & singuli Beneficiati, Spectato Jure communi, tenentur ad residentiam personalem; id est, ad personale ministerium in loco Beneficii præstandum.

Neque impræsentiarum locum habet Regula 68. Juris in 6. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. Patitur enim Regula hæc exceptionem, seu fallentiam, quoties electa est industria, & fides personæ, cui quidpiam committitur: ut cap. ult. §. In autem. de Offic. Judic. Delegat. & c. Is. cap. 12. eod. in 6. Sic autem in Beneficiis Ecclesiasticis censetur electa industria, fideique personæ, cui aliquod ipsorum conferitur, c. Quia nonnulli. 3. h. t. junctâ can. Metropolitanano. dist. 63. & can. Licet. 8. q. 1. & Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 1. de Reform. ubi non nisi digniores, & Ecclesiæ magis utiles judicari, ad Beneficia curata promovendi jubentur. Unde consequens est, quòd non possit quis per alium residere in Beneficio: sicut etiam nequit Clericus recitare Breviarium per alium, una cum similibus. Accedit, quòd is, qui accipit aliquod officium, obliget suam personam ad proprias illius officii functiones; taciteque promittat, se illas obiturum, quantum res feret: & nisi putaretur id facturum, non ei daretur officium. Idem ergo dicendum de Clerico, cui datur Beneficium propter officium; sicque tacite sese obligavit ad officium suum personaliter præstandum, quantum res feret: hoc est, regulariter loquendo, ac nisi causa majoris momenti cogat ipsum ad tempus abesse à Beneficio.

Resp. II. Residentia, de qua agitur hoc Titulo, sive residentia formaliter considerata, est duplex; vera videlicet, & ficta. Ita Barbosa ad Rubric. h. t. n. 9. Pirhing eod. n. 2. & in re communis. Siquidem Residentia vera dicitur illa, quæ Beneficiarius verè ac realiter prærens est, in loco Beneficii, hujusque onera seu officia per semetipsum exercet.

Residentia scilicet censetur illa, quæ ex Juris dispositione est inducta: dum videlicet Beneficiarius ex legitima causa absens, habetur ex quadam juris fictione pro præsentem, sicut ad lucranda fructus grossos; ut c. *Ad audientiam*. 15. c. *De cætero*. 7. h. t. ubi duo Canonici absentes in servitio Episcopi, hæc ratione censentur præsentem, seu residentes. Vel etiam ad lucranda distributiones quotidianas; ut cap. un. h. t. in 6. ac suo loco amplius dicitur. Et hoc modo etiam in Beneficiis curatis intelligitur residere, qui ex legitima causa absens, deservit Beneficio suo per Vicarium; ut c. *Extirpanda*. 30. §. *Qui verò de Præbend.*

Quæritur II. Utrum omnia Beneficia residentiam exigant, & quo jure? Resp. I. Spectato Jure communi omnia Beneficia, etiam simplicia, postulant residentiam. Ita Abbas c. *Extirpanda*. in *Repetit.* §. *Qui verò n. 30. de Præbend.* asserens, quod Beneficium, quantumcumque minimum, de Jure communi requirit residentiam. Federicus de Senis *Consil.* 246. à princip. Fagnanus c. *Cum omnes*. n. 14. de *Constitut.* & communis. Idque patet ex c. *Ex parte* 8. & c. *Inter quatuor*. 10. h. t. ubi Clerici, qui Ecclesias, vel Præbendas sibi concessas, sine justa causa deserunt, sicut in ipsis non resident, privatione earundem puniuntur. Concordat cap. 2. & cap. ult. h. t. & c. *Super inordinata*. 35. de *Præbend.* & c. *Ad hæc*. 13. eod. ubi dicitur, quod singula officia in Ecclesiis assidue tenentur personarum: cum similibus. Et loquendo etiam de Beneficiis simplicibus, id ipsum patet ex can. *Eleutherius*. & can. *Clericus*. dist. 91. & can. ult. dist. 92. & can. *Si quis in Clero*. 7. q. 1. junctâ Glossâ §. *Solemniter*. Accedit c. *Conquerente*. 6. h. t. ubi Summarium ex Abbate, & Jo. Andrea desumptum, sic habet: *Qui non residet in Beneficio, etiam modicæ estimationis, illo privatur*. Ex quo liquet, quod spectato Jure communi habentes Beneficium simplex, quantumvis modicum, residere tenentur.

Additur notanter, spectato Jure communi. Nam ex generali consuetudine totius Ecclesiæ, Beneficia simplicia residentiam personalem non requirunt; adeoque potest quis per Substitutum eidem deservire: nisi Fundator discretis verbis oppositum expresserit. Felinus c. *Dilectus*. il. 2. nu. 1. de *Rescriptis*. Abbas c. *Cum omnes*. num. 1. & Fagnanus *ibid.* n. 14. & segg. de *Constitut.* citans Rotam apud Card. Seraphinum, *Decis.* 639. num. 5. & alios. Vallensis h. t. num. 3. & Garcia de *Beneficiis*, part. 3. cap. 2. n. 3. & 11. ac segg. Zerola part. 1. *Praxis Episcopalis*. §. *Beneficium*. §. *Ad septimum*. §. *Octava conclusio*, allegans Declarationem Sacræ Congregationis in hæc verba: *Obtinens Beneficium, quod sit simplex, & sine cura animarum, & extra Ecclesiam Collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario*. Ubi clausula illa, *ob aliam causam*, &c. manifestè probat posteriorem partem date limitationis: nam si Fundator discretis verbis obligarit Beneficiarium ad residentiam personalem (idemque dicendum, si statuit, vel consuetudine particularis alicujus Ecclesiæ, talis obligatio inducta fuerit) procul dubio tenebitur quis residere in loco Beneficii simplicis, atque per semetipsum inuncta servitia Ecclesiæ prestare: prout per Rotam fuisse resolutum in una Calaguritana Beneficii de Navarrete. 10. Junii 1588. coram D. Pamphilio. & in una Cesaraugustana Fructuum, 4. Junii 1600. coram D. Corduba. refert Garcia cit. cap. 2. n. 11. & 12.

IO Resp. II. Episcopi, alique Beneficiati curam animarum habentes, tenentur ad residentiam personalem non solum de Jure Canonico, sed etiam Ju-

re Divino, & naturali. Ita Garcia tract. 3. de *Beneficiis*, cap. 2. num. 16. Fagnanus c. *Ex parte*. num. 25. h. t. asserens, hanc sententiam teneri fermè ab universâ Schola Theologorum. Navarrus cap. 25. *Manual*. num. 121. *Vers. ex quo obiter*. Piring h. t. num. 51. Vallensis eodem num. 1. Zoësius num. 2. Barbosa part. 3. de *Offic. & potest. Episc.* allegat. 53. num. 2. Bernardus Sannig h. t. cap. 1. num. 4. Lessius lib. 2. de *Just. & Jur.* cap. 24. dubit. 29. num. 153. & plurimi alii, contra Ambros. Catharinum in *Opusculo de Residentia*, & paucos alios. Probatur Conclusio ex Concilio Tridentino *sess.* 27. cap. 1. de *Reform.* ubi dicitur: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini predicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, altiarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; que omnia nequaquam ab eis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assunt, sed mercenarium more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut Divinorum præceptorum memores, fæliciter forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant &c.* Ex quibus verbis fit argumentari licet. Episcopi, & ceteri Curati tenentur Jure Divino oves suas agnoscere, aliisque à Concilio specificata munera obire: atqui hæc præstare nequeunt illi, qui gregi suo non assunt; id est, personaliter non resident, uti fateatur idem Concilium: ergo.

Notandum tamen cum Fagnano in cit. c. *Ex parte* n. 18. & Piring. n. 12. h. t. quod Concilium Tridentinum loc. cit. noster definire hunc articulum, tanquam dogma Fidei: alioquin enim idem verbis eundem possidet inter Canones ad Dogmata Fidei pertinentes; prout moris est; non autem inter Decreta Reformationis. Unde si quis de factis affirmaret, etiam pertinaciter, præceptum residentie Pastorum esse tantum de Jure positivo Ecclesiastico; ipse non condemnaretur ut hæreticus.

Obijcies majoris claritatis gratiâ, contra datam Conclusionem. Sufficit, quod Episcopus, aut quisvis Curatus, per alium sua munia Pastoralia præstet; atque ipse, licet alibi existens, gregi suo invigilet, juxta illud Apost. 2. *Corinth.* 18. dicens: *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum*: haud obstante, quod D. Paulus apud has omnes Ecclesias simul residere non potuerit, sed duntaxat absens ipsarum omnium sollicitudinem gerens, eidem invigilaverit; ergo. Resp. Antecedens duntaxat procedere in casu legitime absentie, seu quando causa majoris momenti cogit Clericum ad tempus à Beneficio abesse; prout absuit D. Paulus, ubi supra. Aliis secus.

Accessit ratio desumpta ex natura, & officio Pastoris. Siquidem Pastor Jure naturæ, atque vi sui officii, tenetur gregi suo invigilare, eumque ad instar Mercenarii nequitiam delerere: quod ipsum Jure Divino præcipitur Pastoribus Ecclesiasticis, Jure Divino naturali, ac Divino, tenetur Pastor animarum ad residentiam personalem, utpote sine qua, juxta allegatum Concilium Tridentinum, munia pastoralia nequaquam præstari, & impleri possunt. Eadem enim obligatio, quæ quis tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium, sine quo finis obtineri non potest, l. *Nam ut ait. ff. de Legib. D. Thomas part. 1. quest. 19. art. 3.* Fagnanus loc. cit. n. 30. idque eò magis arguit: quia in Beneficiis, prout

§. I. Præmittuntur generalia de Residentia &c.

præsertim curatis, censetur electa industria perone, conformiter dictis num. 6. Unde non mirum, quod cessante legitima absentie causa, non possint per alium residere, sicut obligationi suæ satisficere, arg. cap. ult. §. *Is autem de Offic. Judic. Delegat.*

14 Resp. III. Beneficia non curata. Jure duntaxat Ecclesiastico, atque ex primæva Fundatorum intentione, per Sacros Canones approbata, exigunt residentiam. Ita Fagnanus c. *Extirpanda*. §. *Qui verò n. 28. de Præbend.* Vallensis h. t. nu. 2. Zoësius eod. n. 2. Piring. n. 16. Sannig. cit. cap. 1. nu. 5. & alii. Ratio est: quia Beneficia curam animarum non requirunt, solummodo per Ecclesiam propter cultum Divinum sunt instituta, neque in ipsis urget ratio proximè allata; cum careant officio pastoralis, curaque animarum: ergo non nisi Jure Ecclesiastico exigunt residentiam.

15 Accedit, quod dentur aliqua Beneficia, quæ tantum ad Horarum Canoniarum recitationem obligant, non etiam ad residentiam: ut sunt Præbendæ, seu Præbendiales portiones, quæ à redditibus Ecclesiasticis abstractæ, designantur aliquibus in vitæ subsidium, vel ad studia peragenda. Zoësius cit. n. 2. Ad idem facit Concilium Tridentinum *sess.* 6. cap. 2. de *Reform.* decernens, ut obtinens Beneficia Ecclesiastica personalem residentiam de Jure, sive consuetudine exigantia, cogatur residere: nam frustra fecisset mentionem eorum, quæ exigunt residentiam personalem, nisi darentur aliqua Beneficia, quæ ipsam non exigunt; uti fuit Beneficia quedam simplicia.

16 Dices. Quilibet Jure naturali, & divino, tenetur præstare ea, quæ sunt sui officii, & ad quæ præstanda per hujus acceptionem tacite, seu quasi ex contractu, sese obligavit; ergo etiam Beneficiarii non curati tenentur Jure naturali Divino ad residentiam in proprio Beneficio: nam per hujus acceptionem tacite se obligarunt ad residentiam, eò quod sine personali residentia nequeant præstare onera, atque officia sui Beneficio annexa. Resp. negando conqueantiam cum sua probatione, vel potius suppositum ejus. Licet enim Beneficiarii post acceptatum Beneficium, etiam non curatum, teneantur vi pacti tacite præstiti, seu quasi contractus, adeoque Jure naturali Divino præstare ea, quæ sunt sui officii, exequendo videlicet onera suo Beneficio annexa, & consequenter etiam residendo personaliter in eo, ubi opus fuerit: non tamen hinc sequitur, omnia illius Beneficii onera, ipsamque residentiam, eidem esse annexa Jure naturali Divino. Quia potius talia onera, plura, vel pauciora specificantur, atque erecto Beneficio annexantur ex pia Fundatorum intentione, atque constitutione Ecclesiæ dictam Fundatorum intentionem approbant: uti patet in obligatione legendi certas Missas, assistendi Choro, ministrandi ad Altare &c. Quis enim dicit, talia onera Beneficii simplicibus Jure naturali Divino esse annexa, cum in pluribus eorum non adfuit quin etiam de generali consuetudine sufficit, Beneficiis simplicibus deservire per substitutum, nisi Fundator oppositum expresserit, juxta dicta nu. 9. Unde magna est disparitas inter Beneficia curata, & non curata: priora enim exigunt personalem residentiam ex sua natura, seu vi pastoralis officii, quod habent annexum, sicut Jure naturali Divino: secus dicendum de Beneficiis non curatis, utpote carentibus officio Pastoralis, curaque animarum: haud obstante, quod tam ista, quam illa, postquam sunt acceptata, vi pacti tacite inhi, seu quasi contractus (imò quandoque etiam ratione præstiti juramenti) sicut Jure naturali Divino, obligent Beneficiarium ad præ-

Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

stanta fideliter onera eidem annexa.

Quæritur III. Quo modo intelligendum sit Juramentum, de continua personali residentia præstitum? Resp. breviter. Juramentum hujusmodi, utpote præstitum circa materiam Juris interpretandum est secundum dispositionem Juris communis; ac prout non obligat in casibus Jure communi exceptis. Ita Abbas c. *Ex parte*. 13. h. t. Piring eod. num. 44. & alii; atque concordant dicta superius lib. 2. Tit. 24. *De Jurjurando*. §. 2. num. 25. & segg. ubi fusè de interpretatione juramenti præstiti circa materiam juris, dictum fuit.

Probatur, simulque exemplificatur eadem Conclusio. Sic imprimis Præpositus, qui à principio receptæ Præposituræ juraverat continuo residere, pro servitiis suæ Ecclesiæ, sive pro juribus, & rationibus ipsius Præposituræ prosequendis, licet se absentem; ac sine fraude taliter se absentem, perjurium non ideo incurrat. Textus est in c. *Ex parte tua*. 13. h. t. ubi omnes Doctores. Siquidem ipsumdem Jus commune permittit Clericis, abesse ob evidentem Ecclesiæ suæ utilitatem, cap. un. h. t. in 6. cum concordantibus: unde casus iste non comprehenditur sub ejusmodi juramento. Idemque dicendum de duobus Canonici licet absentibus in servitio Episcopi, haud obstante prævio juramento de residentia, juxta c. *Ad Audientiam*. 15. h. t. Ac de Beneficiariis absentibus ex causa infirmitatis, cap. un. h. t. in 6. cum similibus. Nam quod in omni Juramento promissorio, quantumvis absolute factò, quædam tacite subintelligantur conditiones, eaque ipso jure infint; nempe, *Si potero, Salvo jure Superioris, Si res in eodem statu permanerint &c.* tradit Glossa in c. *Quemadmodum*. 25. §. *Conditio*. & Abbas *ibid.* §. *Ilud autem n. 8. de Jurjurand.* etique jam declaratum supra cit. lib. 2. Tit. 24. §. 2. n. 51. 52. & segg.

Quæritur IV. Quæ spectato Jure communi sunt pœnæ Clericorum, in suis Beneficiis debite non residentium; & quo modo contra eos sit procedendum? Resp. I. Districtius imprimis est prohibendum in Concilio Lateranensi, sub Alexandro III. celebrato, ac relato in c. *Quia nonnulli*. 3. h. t. ne cuiquam diversæ Dignitatis Ecclesiasticæ, aut plures Ecclesiæ Parochiales conferantur: *Quodsi aliter factum fuerit, & qui receperit, quod contra sacros Ordines accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestare privetur*. Ita textus expressus in d. c. *Quia nonnulli*. 3. h. t. Quamquam hæc pœna non fuerit late tententur pro tempore Concilii Lateranensis, celebrati sub Alexandro III. prout liquet ex ly *privetur*. & notat Abbas *ibid.* num. 4. idque quoad dantem, seu conferentem, procedit etiamnum: adeò ut non sit ipso jure privatus eâ vice potestatis conferendi, qui Beneficium curatum, vel Dignitatem contulit non valenti residere personaliter, sed privandus; prout observat idem Abbas num. 8. Verum quoad recipientem plura Beneficia, Capitulum istud postea fuit immutatum per c. *De multa*. 28. de *Præbend.* juncto Concilio Tridentino *sess.* 7. cap. 4. de *Reform.* atque ex professò dicitur *Tit. seg.* §. 10. n. 280. & segg.

Resp. II. Beneficiarii debite modo non residentes, imprimis per Superiorem sunt citandi, seu mendi, ut redeant: & si præfæcto tempore, juxta arbitrium Superioris, non redeant ad debitam residentiam, neque justam excusationem ostendant, proceditur contra eos appellatione remotâ. Ita communis, juxta expressos textus Juris. Et quidem prior pars constat ex c. *Ex parte vestra*. 8. & c. *Inter quatuor*. 10. & cap. ult. h. t. cum similibus. Qualiter autem hæc citatio debeat fieri, dicitur *Concl. seg.*

- 21 Altera pars habetur c. Relatum. 4. h. t. ubi tales refidere nolentes, dicuntur à suis Beneficiis posse amoveri: Nisi forte de licentia suorum Prælatorum, vel studio literarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse: nec patrocinari debet eis appellatio- nis diffugium, si contra hujusmodi intencionem Decreti fuerit interdictum. Ubi ponderandum ly Nec patrocinari debet eis appellatio- nis diffugium. &c. idque merito fuit statutum: nam contra clarum Juris dispositionem non admittitur appellatio, c. Ad nostram. 3. &c. Consultum. 29. junctâ Glofâ fin. de Appellat. Abbas cit. c. Relatum, nu. 3. h. t. estque jam dictum supra Lib. 2. Tit. 28. De Appellationibus. §. 11. nu. 308. Atque contra clarum juris dispositionem fieret appellatio, si Clericus habens Beneficium curatum, vel etiam simplex, ex speciali tamen constitutione, fundatione, aut propriâ promissione requirens personalem residentiam, appellaret, ne teneatur in eo residere, simulque non possit aliam rationabilem causam exculantem allegare; ergo.
- 22 Resp. III. Citatio Beneficarii non residentis, antequam contra eum per impositionem penarum, puta privationis Beneficii, possit procedi, debet fieri personaliter, quando scitur, ubi sit: ita videlicet, ut Episcopus privatorum Clericum Beneficio ob non residentiam, teneatur eum prius monere, ut resideat, vel citando ipsum in persona coram legitimis testibus per internuntium; vel per litteras compellendo eum ad residentiam sub poena privationis, nisi intra terminum sibi præfixum, atque arbitrio Episcopi taxandam, in suo Beneficio refiderit: sola autem citatio Edictalis non sufficiat, quando scitur, ubi sit. Ita desumitur ex c. Ex parte vestra. 8. & notat Abbas ibid. n. 3. & Barbosa n. 3. h. t. Bellettus part. 2. Disquisit. Clerical. §. 34. de pœnis Cleric. n. 15. Garcias part. 3. de Beneficiis. cap. 2. num. 156. Pirhing. h. t. n. 57. Fagnanus c. Ex tue. n. 4. & 9. eod. Ubi tamen istud n. 31. de facto limitandum censet in Parochis, aliisque Curatis inferioribus, quos post Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. de Reform. arbitratur, posse indistinctè citari per Edictum, quamvis sciatur, ubi sint, juxta dicenda inferius §. 3. n. 61.
- 23 Quòd si verò ignoretur, ubinam sit Clericus non residens, vel is tam longè, seu taliter absit, ut ad eum citatio personalis commodè pervenire non valeat: tunc in Ecclesia, ubi Beneficium exiit, debet publicari Edictum trinæ citationis; hoc est, per tria Edicta in loco Beneficii, seu Ecclesiæ successivè facta: adeò ut non sufficiat unica peremptoria, c. Ex tue. 11. ubi Abbas nu. 1. & seqq. & Barbosa n. 3. h. t. Garcias part. 3. cap. 2. n. 155. & 156. & seqq. allegans multiplicem Decisionem Rotæ in terminis. Bellettus loc. cit. n. 15. subjungens, quòd hujusmodi trinæ citationes non debeant nimis festinanter fieri. Post ultimam verò citationem debet expectari per sex menses, antequàm deveniatur ad privationem: si verò Beneficarius post lapsum sex mensium, ab ultima citatione Edictali numerandorum, non redierit neque residere curaverit; tunc juxta Canonicas Sanctiones merito debet Beneficio privari, atque istud alteri conferri, cit. c. Ex tue. h. t. Abbas. Barbosa. Garcias. Bellettus, ubi supra, & alii.
- 24 Cæterum loquendo de citatione personali, passim fatentur Doctores, sufficere unicam, nec requiri, ut illa solemniter publicetur: neque ulterius requiri, ut post eam tempus sex mensium expectetur, sed sufficere arbitrarium; adeò, ut Clericus illicet possit privari Beneficio, si tempore juxta arbitrium Episcopi per citationem personalem determinat non redierit, neque residerit. Barbosa part. 1. de Offic. Parochi. cap. 8. n. 75. Garcias d. n. 155. & seqq. Bellettus cit. §. 34. n. 16. Pirhing h. t. n. 51.

& alii. Quinimò Jo. Andreas d. c. Ex parte vestra. 8. n. 4. h. t. istud ampliat ad eum casum, quo Beneficarius licentiam obtinuit abessendi ad certum tempus, simulque in datione licentiæ monitus fuit sub poena privationis redire in termino; nam si ultra illud tempus abfuerit, privari potest, nisi justam causam alleget, arg. cap. ult. h. t. Tunc enim dies interpellat pro homine, c. Potuit. de Locato.

Quòd si verò Beneficarius, propter longiorem absentiam privatus Beneficio, postea redierit, justamque absentię suæ causam allegaverit, & probaverit; tunc is restituendus est, arg. can. Presentium. 7. q. 1. & c. Cùm Bertholdus. 18. de Sentent. & re judicat. Pirhing h. t. n. 51. Qui proinde num. 53. inter alia notandum ait, quòd Superior non debeat statim procedere ad privandum Beneficio, ac depouendum eum, qui abesse, seu non residet: sed prudenter faciat, si etiam, postquam abiens monitus est, ut redeat, adhuc expectet aliquamdiu, donec clarè appareat, quòd contumaciter, ac temerariè ablit; vel quòd Beneficium pro derelicto habeat, eique tacite renunciet, arg. c. Qualiter. 9. h. t. Id ipsum tradit Barbosa c. Clericos. 17. seu cap. ult. h. t. alferens, idè Clericum non residentem ante omnia monendum esse personaliter ad residentiam, ut ita verè consistet de delicto; & patet, nullam ei competere exculantem.

Resp. IV. Esti pœna ordinaria Clericorum non residentium sit privatio Beneficii, uti patet ex cap. 2. & seqq. h. t. junctis hæcenus dictis: potest nihilominus Superior alio modo procedere contra Clericos non residentes; eoque compellere ad residendum, videlicet per centuras medicinales suspensionis, & excommunicationis, præmissâ trinâ monitione infligendas. Ita textus in c. Ex tue devotio- nis. 11. §. Contra eos. h. t. ubi Abbas n. 6. hunc modum procedendi censet adhibendum contra eos Clericos, qui sunt utiles fidei Ecclesiæ: quamvis Glofâ ibid. §. Ut ipsos, censet, Capitulum illud loqui de Prælati tantum. Verum Barbosa in Collectan. ad cit. cap. nu. 6. post Mantica Decis. 67. n. 6. dispositionem illius Decretalis generalius intelligens, inquit, in electione, sive arbitrio Episcopi relicto esse, an prius per suspensionem, atque excommunicationem, procedendum sit contra Clericum Beneficium contumaciter absentem, nec ne: adeò, ut si absque hiis præmissis centuris procedat Episcopus ad privationem beneficii, illa ritè censetur.

Notandum tamen, quòd Pontifex in cit. c. Ex tue devotio- nis. §. contra eos. h. t. subjungat, quòd si nec sic (id est, per suspensionis, & excommunicationis sententiam) eorum, Beneficiorum contumaciter absentium, malitia poterit emoliri, eos Superior à spiritualium administratione removeat: & quibus præjum Ecclesiis, de personis idoneis faciat provideri. Sed in eas degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer (si expedit) facilius agi possit. Hæc ibi. Unde consequens est, in Beneficiorum debitè non residentes posse quidem procedi tum ad memoratas centuras Ecclesiasticas, tum ad privationem ipsorum Beneficiorum: non verò ad pœnam Degradationis.

Et hæc potissimum procedunt spectato Jure communi antiquo: nam per Sacrosanctam Synodum Tridentinam quoad pœnas Episcoporum, & Parochorum, nec non Canonicorum debitè non residentium, nonnulla specialia fuerunt constituta, & disposita de quibus singillarim commodius agetur in tribus sequentibus Paragraphis. Unde sit

§. II. De Residentia Episcoporum.

§. II.

De Residentia Episcoporum.

SUMMARIUM.

- 29 Residentia Episcoporum faciendâ est in loco, ubi est ipsius Ecclesia Cathedralis.
- 30 Episcopi, alique Beneficarii, præcepto residentie non satisfaciunt, nisi etiam munera sua peragant.
- 31 Residentia Episcoporum, in quo consistere debeat?
- 32 Quæ munera Episcopi, aliisque Curatis, Jure Divino, ac vi debita residentie incumbant?
- 33 Tenetur speciale pauperum, & miserabilium personarum curam habere, juxta apertos Sacros Canones.
- 34 Episcopi possunt per singulos annos duobus, aut tribus mensibus abesse: & quomodo? Et num. seqq.
- 35 Possuntque tunc abesse sine alia Superioris approbatione.
- 36 Etiam causâ relaxandi animum.
- 37 Non tamen trimestre unius anni, conjungendo cum trimestre sequentis anni: & cur?
- 38 Ultra tres menses non possunt Episcopi abesse, nisi ex legitimis causis &c.
- 39 Et accedente approbatione Papæ, vel Metropolitanæ.
- 40 Quin imò de facto non amplius sufficit approbatio Metropolitanæ.
- 41 Propter munus tamen, vel officium Republicæ Episcopatus annexum, possunt itidem abesse sine alia approbatione Papæ &c. Et n. 38.
- 42 Cause excusantes Episcopum à residentia corporali, quæ? Et n. seqq.
- 43 Nominè Christianæ charitatis, quid intelligatur?
- 44 Urgens necessitas, excusans Episcopum à residentia corporali, quæ?
- 45 Et quando reverà ipsum excuset?
- 46 Debita obedientia excusât Episcopos à residentia corporali.
- Tempore Anni Sancti possunt Episcopi Romam peregrinari: & quamdiu tunc abesse valeant? Ibid.
- 47 Evidens Ecclesiæ utilitas, atque
- 48 Evidens Republicæ utilitas, excusans Episcopum à residentia corporali, quando intervenire intelligatur?
- 49 Episcopi ratione servitorum in Curia Regum &c. prestandorum, nequeunt discedere à suis Ecclesiis, nisi obtentâ prius in scriptis Papæ licentia.
- 50 Pœna Episcoporum non residentium, quæ? Et num. seqq.
- Episcopus non residens, pro rata temporis absentie fructus Episcopatus non facit suos. Ibid.
- 51 Tenenturque ipsi in Foro conscientie, & ante aliam sententiam Judicis restituere; & cur? Idque declaratur exemplo Beneficarii non recitantis Horas Canonicas. Ibid.
- 52 Alia pœna Episcopi non residentis est, ut si debite monitus non residerit, privetur Episcopatu.
- Causæ Episcoporum, præsertim criminales graviore contra eos, de facto solum à Papa cognoscendæ, & terminandæ sunt. Ibid.
- 53 Unde de facto Episcopus non residens nequit privari Episcopatu, nisi auctoritate Papæ, ac servatâ formâ Concilii Tridentini.
- 54 Pœna Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 1. de Reform. contra Episcopos non residentes decreta, Resistentiel Jus Can. Tom. III.

§. II. De Residentia Episcoporum.

41

aggravata fuit per aliud Decretum ejusdem Concilii Sess. 23. cap. 1. de Reform.

- 55 Responsio auctorum pro concordia horum Decretorum Concilii reseritur, ac rejicitur.
- 56 Alie pœne Episcopis non residentibus taxatæ. Remissivè.

Quæritur I. Ubi, & qualiter Episcopi residentere teneantur? Resp. I. Residentia Episcoporum faciendâ est in loco, ubi est ipsorum Ecclesia Cathedralis. Ita desumitur ex can. Placuit ut nemini. 7. q. 1. & can. Episcopus si. de consecrat. dist. 3. junctâ Glofâ un. & can. Episcopus vitem. dist. 41. ac notat Barbosa part. 3. de Offic. & potestat. Episc. allegat. §. 3. num. 3. post Marc. Antonium Genuelem in Manual. Pastor. cap. 31. nu. 6. & Fagnanus c. Qualiter. num. 27. & 34. h. t. & c. Canonum statuta. num. 101. de Constitut. alferens, quòd Sacra Congregatio Concilii declaraverit, Episcopos teneri apud tuam Catheralem Ecclesiam residere; nec satis esse, ut in Diocesi residerent: haud obstante, quòd Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. vers. eosdem interim admonet. de Reform. utatur verbo illo, Admonet: quia obligatio residentie juxta Catheralem Ecclesiam surgit ex dispositione antiquorum Canonum, quos Concilium non sustulit, sed solum moderatur. Id ipsum probatur à simili: quia pariter Abbas in suo Monasterio, Parochus in loco Ecclesiæ Parochialis, alique Beneficarii in loco Beneficii, ad obeunda ritè munera sua residere teneantur. Accedit, quòd Episcopus sit sponsus Ecclesiæ suæ, huicque vinculo spiritualis conjugii alligatus. c. Quanto. 3. & c. Licet in tantum. 4. de translat. Episc. argui sponsum se non ostenderet, quin potius Ecclesiam viduatam reliqueret, nisi juxta eam resideret, cessantibus julis beneficiæ causis; ergo.

Resp. II. Episcopi, alique Beneficarii, præcepto residentie non satisfaciunt ex eo, quòd corporaliter præentes sint in loco Beneficii; nisi etiam munera ratione officii sibi incumbentia peragant. Ita certa, & communis; ac signanter tradit Barbosa part. 3. de Offic. & potestat. Episc. allegat. §. 2. num. 20. & Garcias part. 3. de Beneficiis, cap. 2. num. 53. citans Ugolinum de Offic. Episc. cap. 4. §. 13. n. 1. & cap. 15. §. 3. n. 2. & 3. & alios. Ratio est clara: quia verbum Residere significat Ecclesiæ deservire: debet enim accipi cum effectu. c. Relatum. 4. h. t. Alioquin parum esset residere, nisi cura haberetur de Beneficio, præstando personaliter munia sibi incumbentia.

Per hoc tamen non negatur, quin Episcopus possit constituere Vicarium Generalem. Nam propter multitudinem negotiorum Episcopos, est diligentissimus sit, plerumque non sufficit ad omnia negotia se solum expedienda; simulque deest, ut sua onera paritatur equaliter, arg. Ut singule. de Offic. Archiepiscopi. etque jam dictum supra Lib. 1. Tit. 28. de Officio Vicarii. §. 3. num. 64. 65. & seqq. Unde residentia Episcoporum non solum in assidua corporis presentia, sed potius in mentis sollicitudine, & charitatis studio consistere debet: sollicitudinem nimirum attendendo, simul & procurando; ut debita munia Pastoralia per universam Diocesan ritè peragantur, subditè doceantur vitia fugere, sectarique virtutes, extirpentur hæreses, corrigantur rei criminum, foveantur atque defendantur justis, Sacramentorum ministerium ovis concedendis exhibeatur; atque in hunc finem, sive per se sive per alios, Diocesis crebro visitetur, arg. c. Si Episcopus. 6. & c. Cùm Episcopus. 7. de Offic. Ordinar. in 6. Alioquin non potest esse Pastor excusario, si lupus oves comedit, & Pastor nescit, prout loquitur Reg. 10. Juris.

residentia corporali; quando quis eorum à Summo Pontifice accersitur ad tempus pro ministerio quopiam, ad bonum Ecclesie universalis, seu Republice Christiane peragendo: ita tamen, ut expedito ministerio redeat ad propriam Ecclesiam. Barbofa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 53. n. 10. & seqq. inter alia docens, quod Episcopi tempore Anni Sancti possint absque licentia speciali peregrinari Romam, Jubilæi adipiscendi gratia: quia Papa in Bulla Jubilæi Anni Sancti videtur omnibus Episcopis talem licentiam concedere. Huc pertinet obligatio Episcoporum visitandi Limina SS. Apostolorum Petri & Pauli, in quem finem Urbanus VIII. in Bulla, Sancta Synodus (quæ refertur Tom. 4. Bullarum Romanæ, Constitut. 139. dicti Pontificis) §. 12. concessit Episcopis existentibus ultra Montes, vel Mare, ut possint abesse septem mensibus: & existentibus citra Montes, vel Mare, ut quatuor absint mensibus, dummodo eo tempore ad alios actus non divertant.

47 Evidens Ecclesie utilitas intervenire intelligitur, quando Episcopus abest ad defendendum jura Ecclesie suæ: quia tunc eidem intervenire, sicque juris fictione resistere censetur, arg. c. Ex parte tua. 13. h. t. Idem fit, quando abest in utilitatem Ecclesie universalis: ut, cum Concilium Generale, vel Provincia celebratur, quamdiu istud durat. Azorius part. 2. lib. 7. cap. 4. quest. 4. Barbofa cit. allegat. 53. num. 14. Toletus lib. 5. cap. 4. num. 3. vers. Quarta. illud extendens ad casum, quo quis fungitur legatione in utilitatem ipsius Ecclesie, quæ non ita benè, nisi per Episcopum, fieri potest: & alii.

48 Tandem evidens Republice utilitas adesse dicitur, quando Episcopus in manifestam totius Regni, vel Republice utilitatem temporalem abest; & quidem ex necessitate, sive quando aliter, quam per Episcopum, negotium Regni, aut Republice ita benè expediri nequit. Toletus ubi supra, vers. Tertia. Barbofa loc. cit. num. 15. & alii. Sic Episcopus exigente evidenti Republice utilitate potest esse Legatus, sive Orator Principis secularis, arg. can. Si Episcopus, junctâ Glossâ §. Regia. dist. 18. & c. Cum parati. 19. de Appellation. Toletus loc. cit. istud intelligens, quando aliter, quam per Episcopum, nequit legatio expediri: aliis non potest licet Episcopus abesse. Quia imò tales rigide perstringuntur à Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 1. de Reform. illis verbis: Quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui proprie citam salutis immemores, terrenaque Caestibus, ac Divinis humana præferentes, in diversis Curias vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum curâ neglectâ se detinent occupatos: placuit Sacrosanctæ Synodo, antiquos Canones, qui temporum, atque hominum injuriâ penè in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, &c. Hæc Concilium.

49 Unde notat Azorius part. 2. lib. 7. cap. 4. quest. 6. & Diana part. 2. tract. 1. resolut. 5. in fin. Barbofa d. allegat. 53. n. 17. atque Garcias part. 3. de Beneficiis, cap. 2. nu. 389. quod Episcopi in curia Regum, aut aliorum Principum secularium, fungentes officio Regii Præsidis, vel Conciliarii, aut Prærogis, non eximantur à residentia suorum Episcopatum, nec possint horum fructus percipere in absentia: nisi forsan sit defectus hominum, nec alii reperiantur satis idonei ad præstantia talia munia Republice, sive hujusmodi consentus Romani Pontificis, juxta Constitutionem 139. Urbani VIII. quæ incipit, Sancta Synodus, supra n. 46. jam citatam. Ita quippe §. 8. & 9. Pontifex

sub gravissimis penis, prohibet omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, &c. ne à suis Ecclesiis discedant, nisi obtentâ prius Romani Pontificis pro tempore existentis per Breve, seu Litteras missivas licentiâ. Aded, ut ab eorum poenarum incursum (subditur §. 10.) nullus se excusare possit, prætextu, & ratione cujusvis servitii, quomodolibet præstiti, & præstandi pro gerendis & tractandis negotiis quoruncumque Principum, etiam Imperatoris, & Regum, ac Rerumpublicarum, Regnorum ac Provinciarum; nec ratione cujuslibet justitias, vel mandati eorum, vel earum, quomodocumque facti, vel faciendi &c. prout amplius in eadem Bulla continetur; & notat Fagnanus in c. Qualiter. n. 12. 13. ac seqq. h. t.

Quæritur IV. Quæ sint poenæ Episcoporum non residentium? Resp. II. Præter reatum culpe mortalis, quem incurrit Episcopus non residents, ut supra, pro rata temporis absentia fructus Episcopatus non facit suos; sed tenetur ipsos restituere Ecclesie, vel pauperibus; & quidem ante omnem aliam sententiam Judicis. Textus est apertus in Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 1. vers. Si quis autem, de Reform. ubi loquendo cum primis de Episcopis, sic legitur statutum: Si quis autem, quod utinam nunquam eveniat, contra hujus Decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias poenas adversus non residentes, sub Paulo III. impostas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit; cum pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tunc conscientia, aliâ etiam declaratione non secuti illos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante per Superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quocumque conventionem, vel compositionem, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibusvis privilegiis cuicunque collegio, aut fabricæ concessis. Hæc ibi.

Ex quibus verbis patet, Episcopum ultra trimestre, ac cessante aliâ legitima causâ absentem à sua Ecclesia, teneri etiam in Foro conscientia, & ante aliam sententiam declaratoriam superioris Judicis, restituere fructus Episcopales: non minus, ac Clericus Beneficiarius ob omissionem recitationis Horarum Canonicarum, pro rata temporis, tenetur fructus sui Beneficii restituere. Siquidem tum Episcopus non residents, ut supra, tum Beneficiarius non recitans Horas Canonicas, per Leges Ecclesiasticas factus est inhabilis ad acquirendos ejusmodi fructus; eoque quod Sacri Canones impediunt acquisitionem fructuum Beneficialium, nisi ponatur conditio personalis residentie, aut recitationis Horarum Canonicarum. Unde & privatio fructuum Beneficialium, atque obligatio eisdem restituendi ante omnem sententiam Judicis, non est poena propria dicta, seu talis, quæ quis privatur re sua sibi que jam acquisita: sed potius imponitur ut conditio quedam, sive modus necessarius observandus, nisi ponatur præfata residentia personalis, aut recitatio Horarum Canonicarum. Sicut in simili contingit; quando Testator relinquit cuiquam Legatum sub conditione, sive onere, ut aliquid faciat: aliâ perdat Legatum. Navarrus cap. 25. Manual. n. 118. post Abbatem C. Raynaldus. n. 25. vers. in Glossa in §. Adjunctis de Testament. & alios, concordant dicta Superioris lib. 1. Tit. 2. de Constitucionibus. §. 10. nu. 226. & seqq. ac præsertim n. 225.

Resp. II. Alia poena Episcopi non residentis est, ut si debite moerit ad Ecclesiam suam non redierit, neque Sacrodotali more relederit, privetur Episcopatu. Textus est in can. Pervenit. 7. q. 1. & c. Qualiter. 9. h. t. ubi specialiter fermo est de Episcopis

pis non residentibus, atque idcirco sua Ecclesia privandis. Quamquam de facto, sive post Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 8. de Reform. & Sess. 24. cap. 5. de Reform. causæ Episcoporum, & præsertim causæ criminales graviores contra eos, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum Summo Pontifice sint cognoscendæ, & terminandæ. Unde conformiter his, & aliis à memorato Concilio Oecumenico salubriter statutis,

53 Resp. III. De facto Episcopus non residents nequit privari suo Episcopatu, nisi autoritate Romani Pontificis, ac servatis iis, quæ in Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 1. de Reform. statuuntur in hæc verba: Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitanâ, seu Cathedrali Ecclesia, sibi quocumque titulo, causâ, nomine, seu jure commissis, quâcumque ille dignitate, gradu, & præminentia præfulgeat, legitimo impedimento, seu iustis & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diocësim morando abfuerit; & quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesie, & pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicandorum, penam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittat. Crescente verò contumacia, in severiori Sacrorum Canonum censura subjiciatur. Metropolitanus Suffraganeus Episcopos abentes, Metropolitanus verò abentem Suffraganeus Episcopus antiquior residents, sub poena interdicti ingressus Ecclesie eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur: qui in ipsos abentes, prout cujuslibet major, & minor contumacia exegerit, suæ Supremæ Sedis autoritate animadvertere, & Ecclesie ipsius de Pastribus ulterioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire. Hæcenus Concilium Tridentinum sub Paulo III. cit. Sess. 6. cap. 1. de Reform. sic statuens.

54 Ceterum, quia memoratum Decretum à nonnullis trahi poterit in sensum à Sacrosanctæ Synodi mente alienos, ac si nimirum Episcopis vigore illius Decreti quinque mensibus continuis abesse liceret: hinc idem Concilium Sess. 23. cap. 1. de Reform. inherens eidem Decreto sub Paulo III. constituto, declaravit imprimis, quod Episcopi singulis annis possint abesse duntaxat per duos, vel ad summum tres menses. Deinde, præter alias poenas, sub Paulo III. impostas, & innovatas, decrevit citatum Concilium, quod Episcopus illegitime absens, pro rata temporis absentia fructus suos non faciat, nec tunc conscientia, aliâ etiam declaratione non secuta, illos detinere possit, juxta dicta n. 50. & 51. Et quia istud potest videri contradicere priori Decreto, quod habetur cit. Sess. 6. cap. 1. de Reform. ubi Episcopus sex mensibus absens perdit duntaxat quartam partem fructuum unius anni, ut liquet ex verbis ipsius summi. præced. relatis: hinc pro concordia inquit Lessius lib. 2. de justit. & jur. cap. 24. dubit. 29. num. 157. quod per Concilium Trident. Sess. 23. cap. 1. de Reform. imponens obligationem restituendi omnes fructus pro rata temporis absentie, aliâ etiam declaratione non secuta, aggravata, seu aucta fuerit illa poena, quam memoratum Concilium cit. Sess. 6. cap. 1. de Reform. sub Paulo III. statuerat de amittenda duntaxat quarta parte fructuum unius anni propter absentiam sex mensium.

55 Fatendum quidem, quod Castro Palao tract. 13. de Beneficiis, disp. 5. punct. 3. num. 2. Pirhing h. t. nu. 74. Engel eod. num. 4. aliquam aliam dent resolutionem pro concordia citatorum duorum Decretorum Concilii Tridentini; dum asserunt, quod Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. de Reform.

loquatur de fructibus temporis illegitime absentia correspondentibus: idem verò Concilium Sess. 6. cap. 1. de Reform. sub Paulo III. celebratâ, agit de restituenda quarta parte fructuum tempore factæ residentia legitime perceptorum. Verum hæc responsio est capiti difficilis: quia enim, juxta relatum textum Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 1. de Reform. Episcopus sex mensibus illegitimè abens, poenam amissionis quartæ partis fructuum unius anni ipso jure incurrit; & si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum eo ipso amittit: quo modo isthæc posterioior poena (idem servatâ proportionem dicendum de priori) intelligi poterit de quarta parte fructuum, tempore factæ legitimæ residentia perceptorum; cum tamen Episcopus prioribus sex mensibus illegitimè abens, & postea aliis sex mensibus perseverans in ejusmodi absentia, supponatur toto anno nunquam refedisse? Placet igitur inherere responsioni per Lessium, ubi supra, datæ: nam novum non est, etiam in eadem Compilatione Juris, & absque ulla inde sequente antinomia, seu contrarietate Legum, reperiri diversas poenas transgressoribus statutas, quarum priores, ob hominum malitiam minus proficientes, aggravantur per posteriores, arg. can. 1. & seqq. dist. 29.

Alia nonnulla poenæ Episcopis non residentibus taxata, sicut & gratiæ, seu privilegia residentibus concessa, habentur in Constitutione 10. Pii V. quæ incipit, De salute. Et Constitutione 91. ejusdem Pontificis, In suprema: quarum utraque refertur Tom. 2. Bullarum Romanæ. Item in Constitutione 139. Urbani VIII. Sancta Synodus: atque refertur Tom. 4. ejusdem Bullarum Romanæ: ubi placet, videri poterunt; nam veluti longiores, consulto hic omittuntur.

§. III.

De Residentia Parochorum, aliorumque Curatorum.

SUMMARIUM.

- 57 Quidam declaravit circa residentiam Parochorum, aliorumque Curatorum inferiorum, & non residentium poenas, statuerit Concilium Tridentinum?
- 58 Hi tenentur jure Divino residere. Etque in eis strictior obligatio residentie, ac in Canonibus. Ibid.
- 59 Parochi, alique Curati non residentes, præter peccatum mortale, fructus pro rata temporis absentie non faciunt suos &c.
- 60. 61 & 62. Per Decretum Concilii Tridentini dispositio Juris communis adversus Parochos non residentes, in multis est immutata; & in quibus?
- 63 An Parochi non residentes, sint compellendi ad residentiam juxta ordinem penarum in Concilio Tridentino enumeratarum, variant Doctores. Et n. seqq.
- 64 Affirmativa sententia refertur. Ibid.
- 64 Opposita sententia videtur tenenda.
- 65 Solvitur notabilis instantia.
- 66 Parochus non residents, an sit ipso jure privatus Beneficio?
- 67 De facto Parochi, alique Curati inferiores, non possunt abesse per duos menses absque licentia Episcopi. Et n. seqq.
- 68 Et quidem in scriptis, gratiæ concedenda.
- 69 Proponuntur rationes oppositæ sententiæ.

46 Lib. III. Decret. Tit. IV. De Cleric. non residentib. in &c.

- 70. 71 72 & 73. Atque respondetur ad eas.
74 Ad absentiam Parochi per bimestre non sufficit licentia petita, nisi etiam fuerit obienta, & in scriptis data.
75 Nisi occurrat causa gravis subito abscedendi, non patiens dilationem: & quid tunc agendum?
Sola autem distantia ab Episcopo, ad id non sufficit. Ibid.
76 & 77. Quanto tempore possit Parochus abesse de licentia Episcopi?
78 Potest Parochus ex causa, quae sibi legitima videtur abesse per unum, vel alterum diem sine licentia Ordinarii, relicto interim idoneo Vicario.
79 Imò & per sex, aut septem dies, non verò per hebdomadam.
80 Idque confirmatur ex sententia Sacrae Congregationis.
81 Sine ulla rationabili causa Parochus absens graviter peccat.
82 Parochus iussu de causa absens, tenetur relinquere idoneum Vicarium.
83 Et quid, si absit dumtaxat per unum, vel alterum diem non festum?
84 Episcopus potest Parochis prohibere sub pena pecuniaria, ne ultra biduum à propriis Ecclesiis absint sine sua licentia.
85 Parochi praecipio residentiae personalis non satisfaciunt, qui existunt quidem in Parochiali, non tamen per se exercent munera Pastoralia, sed solummodo per Capellanos.
86 Potest tamen Parochus unum, vel plures habere Cooperatores, dummodo etiam ipse quid praestet &c.
87 Quod si nihil praestet, nisi per Cooperatores, peccat; sed non videtur teneri ad restitutionem fructuum, neque inciderit in alias penas non residentium.
88 Ex quibus causis possit Parochus abesse, suaeque Ecclesiae deservire per Vicarium? Et n. seqq. Generaliter loquendo, ut Clericus licite se absentet à Beneficio, requiritur causa honesta, & licentia Episcopi. Ibid. Residentia Parochorum debet intelligi humano modo. Ibid.
89 Quae causae in specie excusent Parochum à residentia? Et n. seqq.
90 Christiana charitas, &
91 Urgens necessitas excusat parochum à residentia personalis; & quando?
92 Quomodo ob capitales inimicitias possit Parochus abesse?
93 Quando debita obedientia excuset Parochum à residentia? Et n. seqq.
94 Episcopus non potest uti operâ Parochi in vistratione, vel servitio suae Ecclesiae, nisi pro duobus mensibus.
95 Neque potest uti operâ Curati pro Secretario, Vicario &c. ultra bimestre.
96 Evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas, quando excuset Parochum à residentia?
97 Dantur nonnulli alii casus in quibus Ecclesiae Parochiali potest deserviri per Vicarium. Et num. seqq.
Ut, quando Ecclesia Parochialis est unita Monasterio, Capitulo &c. Ibid.
98 Vel quando Ecclesia Parochialis accessorie unita est Dignitati, vel Praebendae &c. Et n. 100.
99 Secus, quando ex dispensatione Apostolica habet quis Ecclesiam Parochialem, & Canoniarum, vel Dignitatem simul: quia tenetur residere in Parochiali.

- 101 Quando quis habet duas Parochias, in qua debeat residere?
102 An propter pestem grassantem, vel hostilem incursum, excusetur Parochus à residentia personalis? Et n. seqq.
Refertur sententia affirmativa quorundam. Ibid.
103 Teneri Parochum tempore pestis (vel belli) residere, declaravit Sacra Congregatio Concilii; & qualiter?
104 Et quomodo contra Parochos tunc absentes sit procedendum?
105 Cur Parochus possit discedere causâ curandae infirmitatis, & nontempore pestis, aut belli?
106 Cautela tempore pestis à Parochis, eorumque Vicariis observanda.

Queritur I. Quidnam generatim circa residentiam Parochorum, aliorumque Curatorum inferiorum, & non residentium poenas, statuerit Concilium Tridentinum? Resp. I. Ita positissimum habetur in dicto Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 1. §. Eadem omnino. de Reform. sequentibus verbis: eadem omnino (quae de residentia Episcoporum ibidem praemittuntur) etiam quibus culpam, amissionem fructuum, & penas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen, ut quandoquocumque eos, causâ prius per Episcopum cognita, & probatâ, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquunt. Discedendâ autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Quod si per Edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, & aliaque remedia etiam usque ad privationem compellere; nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentiâ, suspendi posse. Haec ibi.

Ex quibus verbis inferitur primò, quod Parochi, alique Curati Jure Divino teneantur residere: nam ipsum Pastoralis officium exigit hoc in Parochis, caeterisque Curatis, sicut & in Episcopis, conformiter dictis supra §. 1. n. 10. & seqq. Unde consequens est, quod non omnes causae, quae excusant Canonicos à residentia personalis, aequè excusent obtinentes Beneficia curata: nam in his residentiae obligatio oritur ex Jure Divino naturali; sique est multò strictior & arctior praè illa, quae ex solo Jure Ecclesiastico provenit. Fagnanus c. Clericos. n. 8. & 15. h. t. Et hinc possunt quidem abesse duo Canonici ob servitium Episcopi, c. de cetero. 7. h. t. non tamen Parochi, alique Curati, nisi ad duos dumtaxat menses, juxta dicenda n. 94. & 95. Inferitur secundò, quod Parochi, alique Curati non residentes, praeter peccatum mortale, quoddam incurrunnt (nisi modicis temporis absentiae eos excuset, uti limitat Fagnanus c. Relatum. n. 41. h. t.) pro rata temporis absentiae fructus non faciant suos; nec eos tuâ conscientia, aliâ etiam declaratione non secuta, retinere valeant. Nam hoc ipsum statuit Concilium Tridentinum ibidem de Episcopis, quibus quod culpam, amissionem fructuum, & penas, æquiparavit Curatos inferiores; uti liquet ex proximè relato texto Concilii: unde redeunt dicta superius §. praeced. in 50. & 51.

Resp. II. Per allegatum Decretum Concilii Tridentini Sess. 23. cap. 1. de Reform. dispositio Juris communis adversus Parochos, aliosque Curatos non residentes, in multis fuit immutata, & alterata. Ita Fagnanus c. Ex tua. n. 29. 30. & seqq. h. t. idque proba-

§. III. De Residentia Parochorum, aliorumque &c. 47

probatu induzione. Imprimis enim Parochus non residens, de Jure communi non perdit fructus ipso jure. Abbas cap. 1. de Celebrat. Missar. n. 8. quamvis nonnulli contraxerint. Nunc autem Parochus, aliusque Curatus non residens, pro rata temporis absentiae perdit fructus ipso jure, ut dictum num. praeced.

- 61 Deinde spectato Jure communi, Beneficiarius non residens, si scitur, ubi sit, citari non potest per Edictum, sed citari debet personaliter, c. Ex parte 8. h. t. etique jam dictum supra §. 1. n. 22. At verò juxta Concilium Tridentinum potest citari per Edictum, etiam non personaliter; & si contumax fuerit, privari Beneficio; uti liquet ex verbis ejusdem Concilii n. 57. relatis.
62 Tertiò, de Jure communi Beneficiarius non residens, si laicet, seu ignoretur, ubi sit, citari debet tribus Edictis, ac post ultimum Edictum debet expectari per sex menses, antequam privetur Beneficio, c. Ex tua. 11. h. t. Nunc autem, hoc est, post Concilium Tridentinum, sufficit indistinctè, quod Parochus, aliusque Curatus non residens, citetur unico Edicto peremptorio, cum competentis termino ad redeundum: quo relapso statim privari poterit. Siquidem Concilium Tridentinum, ubi supra, simpliciter dicit, Si per Edictum citati contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis etiam usque ad privationem compellere. Fagnanus loc. cit. n. 10. & n. 32. & seqq. nonnullas alias differentias inter Jus commune, & Concilium Tridentinum, quoad propositum subjungens.
63 Resp. III. Utrum Parochi, alique Curati, qui sive personaliter, sive per Edictum citati, contumaciter adhuc absint, sint compellendi ad residentiam juxta ordinem poenarum in Concilio Tridentino juxta ordinem poenarum, enumeratarum, variant Doctores. Affirma Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 53. n. 105. citans Decisionem Rotae in una Salamantina, die 5. Decemb. 1567. coram Card. Seraphino, inter hujus impressas Decis. 27. Idem tenet Ugoletus de Offic. Episc. cap. 15. §. 4. n. 4. ac videtur declarasse Sacra Congregatio Concilii die 6. Decemb. 1576. dum asseruit, quod contra Parochos tempore pestis non residentes, praemisso Edicto, seu monitione, sit procedendum, prout Concilium mandat Sess. 23. cap. 1. de Reform. Nempe prius per censuras; secundo per sequestrationem, & subtractionem fructuum; postea, si hæc remedia non profuerint, possit contra eos procedi per privationem: prout refert Fagnanus c. Clericos. n. 41. h. t.

Oppositam sententiam, videlicet ad privationem Parochi ob non residentiam non esse necessarium, ut prius procedatur per alias poenas, nempe per censuras Ecclesiasticas, & per sequestrationem, ac subtractionem fructuum, &c. tenet Garcias part. 3. de Beneficiis, cap. 2. n. 129. Castro Palao tract. 13. de Beneficiis, disp. 5. punct. 3. n. 10. Flamin. Parisius lib. 1. de Resignat. Benefic. cap. 10. n. 61. & Fagnanus c. Ex tua. n. 18. h. t. Qui istud desumunt ex verbis citati Concilii Tridentini, ponderando illa verba: Liberum esse vult Ordinariis: & consequenter Episcopos procedens contra Curatum non residentem, non ardeat praecipue ad observandum ordinem illarum poenarum.

Nec obstat Declaratio Sacrae Congregationis num. 63. relata. Nam loquitur in casu speciali, seu de Parochis non residentiibus tempore pestis: quia enim olim fuerat controversum inter Theologos & Canonistas, an eo tempore Parochi personaliter residere tenerent, de quo inferius num. 102. & seqq. noluit Sacra Congregatio, statim contra absentes procedi posse per privationem Beneficii.

nisi prius aliae poenae per ordinem praemitterentur. Verùm extra illud tempus generaliter consultâ, eadem Sacra Congregatio, an sit arburium Episcopis, quâ viâ, & quo remedio uti vovent contra non residentes, nempe vel censuris, vel sequestratione & subtractione fructuum, vel privatione? Respondit, ita esse. Fagnanus cit. c. Ex tua. n. 18. h. t.

Dices. Parochus non residens, ipso Jure est privatus Beneficio; ergo frustra hæc quaestio movetur, simulque frustra Concilium Tridentinum loc. cit. decrevit, liberum esse Episcopo talem privare. Antecedens patet ex c. Exirpanda. 30. §. Qui verò. de Praebend. ponderando illa verba: Alioquin non residens, illa (seu Ecclesiâ Parochiali) se scias autoritate hujus Decreti privatum, liberè alii conferenda; Resp. neg. consequent. Quia, ut notat Garcias cit. cap. 2. nu. 129. & Castro Palao, ubi supra, nu. 9. poena illa privationis ipso Jure, fortè per desertudinem fuerat abrogata; sique hodâ videtur cellare: unde nunc standum est memorato Decreto Sacri Concilii Tridentini.

Quaeritur II. Utrum Parochus, vel alius Curatus, possit abesse à sua Parochia cum vel sine licentia sui Episcopi; & quanto tempore? Resp. I. De factis Parochi, vel alii Curati interiores. v. g. Vicarii Parochiales, seu Coadiutores perpetui, non possunt abesse à suis Parochiis, seu Beneficiis curatis per duos menses, nisi ex legitima causâ, per Ordinarium loci approbatâ, & antecedente hujus licentiâ: alioquin peccant mortaliter, simulque fructus pro rata temporis absentiae non faciunt suos. Ita Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 53. n. 93. & seqq. Garcias part. 3. de Beneficiis, cap. 2. n. 19. & 23. & Fagnanus c. Relatum. nu. 32. h. t. Qui duo posteriores referunt, Sacram Congregationem censuisse, quod Parochi non possint licet abesse per duos menses, imò nec per hebdomadam absque licentia Episcopi; quae causâ cognita, & in scriptis concedenda est. Eundem Conclusionem tenent Piafecius Part. 2. Praxis Episcopalis. cap. 3. art. 3. n. 35. Lessius lib. 2. de justit. & jur. cap. 34. duobus tit. 29. n. 159. & alii contra Navarrum cap. 52. Manual. n. 121. vers. & quamvis; ubi arbitratu, etiam post Concilium Tridentinum posse Parochum abesse duos menses absque licentia scripta, cum causâ, quae videtur ei justa: cujus sententiam probabilem censet Azorius part. 2. lib. 7. cap. 4. quest. 10. & Castro Palao tract. 13. de Beneficiis, disp. 5. punct. 5. n. 3. cum nonnullis, quos citat.

Ratio Conclusionis desumitur imprimis ex can. Si quis in Clero. 7. q. 1. in quo Presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, triennio à Communionem suspenditur. Ubi Glossa §. Per tres, illud intelligit, nisi absit de licentia Superiorum. Confirmatur, aique probatur eadem Conclusio, ex verbis Concilii Tridentini num. 57. relatis, ibi: Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causâ, non obtineant &c. ponderando h: Discedendi licentiam in scriptis. Nam hæc verba satis indicant, etiam pro primo bimestri Parochos non posse abesse sine licentia Episcopi. Id ipsum declarasse Sacram Congregationem Concilii Tridentini ad cit. cap. 1. Sess. 23. refert Garcias d. part. 3. cap. 2. n. 23. Et aliam talem declarationem ejusdem refert idem Garcias part. 9. de Beneficiis. cap. 2. num. 295. Nam cum Episcopus Abulensis, de anno 1593. dictam Sacram Congregationem inter alia consulisset: Secundum, an Parochi possint abesse duos menses absque Ordinarii licentia ex causa, quae sibi videtur justa, ut tradit Navarrus in Manual. cap. 25. num. 121. Respondit: Ad secundum de licentia Parochorum, censurâ Congregatio, eos minimè abesse posse; absque Ampli-